

dei cordis sui cogitationes. Si iusta est istorum reprehensio: sequitur Mosē alienatum sensu fuisse cum scriberet. Nam quod ab eo ad verbū desumpsi, sensu carere iactant. Eodē furore bacchatur in secūdam partē, quam hæreticam pronuntiat, cum ad verbum legatur. Deut. 12. d. 32.

Num. 15. d. 39.

Artic. 73.

*Annotatio,* Cordis cogitationes ne sequamur, sed tantum quod præcipit Deus Ibidem, Oculos nostros, & cogitationes cordis ne sequamur, sed tantum præcepta Dei. Deut 12. a. 6, Quod rectum nobis videtur ne faciamus, sed tantum quod præcipit nobis Deus.

*Censura,* Hæ tres annotationes sunt eiusdem farinae cum præcedente.

In his omnibus sententijs, ne syllabam quidem de meo addidi. Sorbona nimis fœcunda hæreseon mater, quicquid toties per os Mosi repetitum est à Spiritu sancto, hæreticum esse iubet. Certe aut nunquam legisse Scripturam oportet: aut per ludibrium Deo & Regi insultasse, quasi nihil non liceret. Interea palàm est, bis fuisse phreneticos qui pudenda sua coram